

quam ut meam erga **TE** obseruantiam,
non tam **TIBI**, cui notissimam esse con-
fido, quam aliis, tum praesentibus, tum
post futuris, facerem testatam: nemo
profecio foret, cui non iusta et grauis vi-
deretur; praesertim cum illa **TIBI** non
modo communibus, sed etiam propriis, iis-
demque multis et magnis de causis debeat-
tur. Sed huius causae in tali loco com-
memoratio tralatitia est, et consuetudine
vulgari dudum consumpta. Illud grauius
est, magisque proprium et mihi, et huic
libro; quod, cum saepe antea ostendisses,
eum **TIBI**, Viro, rectissimo et accura-
tissimo iudicio literarum praedito, valde
probari, nuper, eum **TIBI** etiam curae
esse,